DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA,

DE
DVBIA ATQVE SVSPECTA
IÆMORRHOIDVM
LAVDE,

QVAM,

DEO T. O. DVCE ET AVSPICE

RECTORE VNIVERSITATIS MAGNIFICO,

PRÆNOBILI ET CONSVLTISSIMO

N. TOBIA JAC. REINHARTHO,

TO, SACRI PALATII CÆSAREI COMITE, JVRIDICÆ FACVLTATIS ASSESSORE ET PROFESS. COD. PVBL. ORDIN. NEC NON CIVITATIS ERFORD. SYNDICO ET CONSVLE,

CONSENSV ET DECRETO INCLYTÆ FACVLTATIS MEDICÆ IN PER-ANTIQVA HIERANA,

PRÆSIDE

N. D. IVONE JOANNE STAHLIO,

ENTISS. ELECT. MOGVNT. CONSIL. ET ARCHIATR. ANATOM. CHIRVRG. BOTAN. PROFESS. PVBL. FACVLT. MED. ASSESS. ORD. ET P. T. DEC. N. N. CIVITAT. ERFORD. CONSVL.

ATRONO AC PROMOTORE SVO COLENDISSIMO,

PRO LICENTIA

MMOS IN ARTE MEDICA HONORES AC PRIVILEGIA DOCTORALIA RITE OBTINENDI,

PVBLICÆ ERVDITORVM CENSVRÆ SVBMITTIT,

AVTOR ET RESPONDENS,

CHAEL ERNESTVS DEVILLE,

Gothanus.

IN AVDITORIO MAJORI COLLEGII MAJORIS, HORIS CONSVETIS.

DIE X. JANVARII, A. MDCCXXXIII.

ERFORDIÆ, Typis JOH. CHRISTOPHORI HERINGII, Acad. Typogr.



PROŒMIVM.



INter eos, qui ſtudio Artis ſalutaris amplificando operam dederunt, non minimam meruerunt laudem illi, qui ſuam in eo collocarunt diligentiam, ut latitantes detegerent ſcopulos, ad quos pleriſque tanquam tempeſtate delati in medio curſu adhæreſcere ſolent. Si enim magnæ debentur illi gratiæ, qui errantem deducit in viam, multò majoribus condecorandus erit encomiis, qui iter ingredienti omnia præmonſtrat loca devia, indicat præcipitia, ſubmovet impedimenta, ut rectâ viâ, ſinè omni periculo incedere, & exoptatam contingere poſſit metam. Quæ res, cùm

ità se habeat, facilè intelligitur, non conte mnendam eos præstitisse utilitatem, qui al omni partium studio remoti, in eo fuerun occupati, ut fideliter & sinè omni acerbitat indicarent remoras, quibus detenti eò, quo aliàs potuissent, non progressi sunt Authore Medici, tum alii plerique, tum illi potissimum qui tota produxerunt nova Systemata. Hi enim dici vix potest, quot & quanta sese obji ciant obstacula, quot in prosequenda veritat difficultates; Quarum, cum magnus invenia tur numerus, eas tantùm enarrabo, quæ & fre quentius occurrunt, & noxam præ reliquis in ferre solent graviorem. Quò sine dubio per tinet immoderata illa, qua quisque propter su vel vera vel imaginaria inventa afficitur, vo luptas. Horum enim tanto plerique statim capiuntur amore, ut quiescere non possint, an tequàm totum quoddam illis accommodarun Systema; &, ne gratis hæc dixisse videar, exem plis comprobabo, nec celeberrimos etiam & classicos Authores hunc errorem semper evita re potuisse. Ut igitur mittamus veteres, nonn illi, qui chymicis experimentis Medicinam lo

cuple

cũpletarunt, cum perſpicerent, ex plerisque corporibus per Ignis torturam Salem, Sulphur & Mercurium, vel huic ſimile quid, utpote principia activa materiæ præter paſſiva extorqueri poſſe, ex iisdem principiis & corpus noſtrum conſtare, & ex eorum vitioſa mixtura morbos generari, iisdemque ſanitati reſtitui debere tum crediderunt, tum aliis perſuadere conati ſunt? Cùm SYLVIUS in ſtructuram glandulæ pancreaticæ accuratius inquiſiviſſet, humoremque ibidem ſecretum examinaſſet diligentius, omnium fere morborum originem exinde deducere, & ad ejus correctionem indicationes eſſe dirigendas affirmare non dubitavit. WILLISIUS ea laude, quòd Cerebri ſtructuram nervorumque propagines ſumma ſolertia detegerit, non contentus, à nervis & horum liquido modo non omnes derivare annititur morbos. Ipſe acutiſſimus BAGLIVIUS ab ea, quam aliis optime monſtravit, via deflectit, & vim Duræ Matris, quam in movendis humoribus agnoverat, ad omnes fere vitales functiones extendit. Qui fluidis favent, illis omnem in morbis producendis & ſanan-

dis tribuunt efficaciam, solidis omnino posthabitis. Alii econtra nullas admittunt humorum dyscrasias, & omnia ad solida referunt. Sunt etiam inter Neotericos, qui, cum in turbandis actionibus vitalibus aliquam vim Animæ rationalis deprehenderent, omnibus statim motibus eam solam præficiunt. *Sed est quodam prodire tenus, quo non datur ultra*, & in hoc etiam negotio medium tenuisse beati est. Nimis esset prolixum, hic recensere sigillatim omnes illas aberrationes, ex similibus causis pronatas. Solæ sufficiant Hæmorrhoides, hodie, si unquam, summis exornatæ laudibus, & talibus, quæ ipsæ illas suspectas reddere possent; Conscripserunt enim de iis integra volumina, quæ Panegyricas potius, quam e rei natura desumtas laudationes continent. Cum itaque Specimen inaugurale edendum mihi incumberet, hoc in me suscepi negotium, ut exponam, quousque laudes Hæmorrhoidum patere, quibus vero includendas esse cancellis existimem. Quod, ut in Artis Medicæ emolumentum proximique salutem cedat, Dei T. O. M. imploro auxilium.

TRA-

TRACTATIO
DE
DVBIA ET SVSPECTA HÆMORRHOIDVM LAVDE.

§. I.

HÆmorrhois à Græco αἷμα ſanguis, & ῥέω fluo, originem ſuæ denominationis ducens ſignificabat veteribus promiſcue omne ſanguinis ex quibuscunque vaſis profluvium: Licet jam ſuo tempore & HIPPOCRATES, & GALENVS hoc vocabulo de fluxu ſanguinis x venis inteſtini recti frequentius uſi fuerint. Unde etiam pud eos, qui illos ſequuti ſunt, obtinuit conſuetudo, ut oc nomine κατ' ἐξοχὴν indicarent non tantum cruoris ex veis ani ſtillicidium ſed ipſas etiam venas. *vid.* BARTHOLIN. *ib. I. cap. 4.* Latinis ani venæ ſanguinem fundentes, & pro uvium ſanguinis ex ano. Germani vocant venam auream, e gůldene Ader, vel hyperbolice, quod obſervaſſent, ſub cers circumſtantiis eam tempeſtive apertam à gravioribus orbis interdum præſervare, vel propter fœditatem & moſtiam κατ' ἀντίφρασιν.

§. II.

Si quis memoriam eorum, quæ ab omni tempore in Re ledica vel ſcripta vel diſputata ſunt, paulo diligentius recot, facile deprehendit, ſemper aliquam hujus Diſciplinæ parm extitiſſe, quæ præ omnibus aliis Doctorum attentionem t ſtudium in ſe converterit. Cujus qui ſemel ſibi propoerunt deprædicare laudes, vix ſibi potuerunt temperare, uin terminos illius vulgaris: *Ne quid nimis*, tranſcenderent. ed & illæ omnes ſuas habuerunt Periodos, & ſæpenumero lus laboris, ut in ejusmodi ſcriptis verum à falſo diſcerneretur, adhibuit Poſteritas, quam illi in tantis conſcribendis logiis impenderunt. Eadem fata fere omnia habent ſimplicia

plicia & Medicamenta, de quibus toti componuntur Tracta-
tus: in his enim eorum virtutes eò redduntur incertiores
quo pluribus morbis persanandis perhibentur esse idonea
Illi vero, qui ejusmodi labores suscipiunt, argumenti digni-
tati derogare crederent, nisi omnes fere suo Remedio He-
roico perdomandas traderent ægritudines. Sed his missis
redimus ad Hæmorrhoides, quæ nostro ævo ex sua obscuri-
tate in lucem productæ plurimorum in se rapiunt curiosita-
tem, & acuta quævis exercent ingenia.

§. III.

Hic vero non id ago, ut laudatissimam doctissimorum
virorum in hoc perscrutando argumento adhibitam solen-
tiam esse reprehendendam existimem, sed potius, ut modest
indicarem, in quo sensu laudes Hæmorrhoidum accipienda
& qui honores immerito illis collati, mihi videantur.

§. IV.

Locus non patitur, ut jam omnia ordine persequar Elo-
gia, quæ de hoc fluxu aureo passim leguntur apud Autho-
res: sed brevitati studens, ablego potius B. L. ad Disputatio-
nes, quas de Hæmorrhoidibus eleganter admodum & copio-
se concinnavit *Celeb.* ALBERTI, ubi sane largam inveniet mes-
sem omnium eorum, quæ tam à Neotericis, quam Veteribu
de Hæmorrhoidum utilitate & in genus humanum meritis
vel laudantur, vel aliquam laudis præ se ferunt speciem. E
quibus, quæ mihi visa fuêre palmaria, depromam, & iis dubi
mea exercitii magis, quam tantis viris contradicendi studio
subjunctis rationibus opponam.

§. V.

Laudatur Fluxus Hæmorrhoidalis 1) quia non est excre-
tio præternaturalis vel morbosa, sed potius 2) à Principi
vitali pro imminuenda Plethora ad salutarem finem sempe
instituitur 3) quia suppressæ hæmorrhoides sonticos produ-
cunt morbos, ideoque ab HIPPOCRATE una ad minimam
aperta servari jubetur. 4) Fluentes econtra pertinaces non
tantum sanant ægritudines, sed ab aliis etiam præservant
quamplurimis.

§. VI

§. VI.

Quod ad primum attinet, *fluxum hæmorrhoidum non esse* *ræternaturalem, nec morbosum,* partim rationibus, partim ve- ò Authoritatibus evincere conantur. Quæ res verò, ut re- tè intelligatur, ante omnia erit determinandum, quid natu- ale, quidve præternaturale sit appellandum. Naturale igi- ır erit, quodcunque in corpore nostro quoad solida & flui- a ritè constituto ad sanitatem conservandam non tantùm eragitur, sed ex legibus Naturæ pro certo & determinato btinendo fine necessariò etiam peragi debet. Hinc præter- aturale erit, quodcunque, solidorum & fluidorum propor- ione mutata horumve qualitatibus respective depravatis ıotibusque turbatis, vel in corporis perniciem fit, vel à ıbe corpori jam illata fieri cogitur.

§. VII.

Unde cuilibet patere poterit, quousque valeat compa- atio illa, quam inter Hæmorrhoides & fluxum Menstruum ıstituere solent. Hunc enim naturalem esse nemo negare otest. Quoniam corpus muliebre ita fabricatum est, ut erto tempore ejus pars sanguinis in fœtus nutrimentum im- endi queat. Quod verò tempus, quoniam est incertum, ımper tamen viscera Hæmatopœja plus sanguinis elaborent ecesse est, quam ad istius solius individui sustentationem suf- ciat, propterea que, quamdiu illud superfluum in destinatum sum non absumitur, singulis mensibus meritò tanquam in- tile ordinariè rejicitur. Hæc vero ratio in Hæmorrhoidi- us nullum habet locum. Deinde, menses fluunt, vel fluere ebent justa periodo omnibus fœminis, vel in optima sanita- e constitutis, imo ob id sanis, (pauca eaque exempla rariss- ma excipio:) cum tamen hæmorrhoides semper supponant el sanguinis abundantiam, in viris non, ut in mulieribus, ob ictas causas, naturalem, vel hujus dyscrasiam, vel denique analium sanguiferorum obstructiones in Abdomine.

§. VIII.

Sanguinis abundantiam supponunt, ut ipsi fatentur, uoniam intentionem Principii vitalis esse perhibent immi-

 nutio-

nutionem Plethoræ: vel ſanguinem impurum, uti in Melancholicis, Hypochondriacis & Cacochymicis, in quibus obſervantur frequentiores, & hic, ſi unquam, utilitatem præſtan
Obſtructiones vero venarum ſuperiorum in abdomine han excretionem vel promovere, vel etiam coacte producere docent leges Hydraulicæ, ſecundum quas, quo plures canal ſunt obturati, eo major erit impetus fluidi verſus reliquo Ergo hoc nomine Hæmorrhoides habent omnes proprietates Excretionis præternaturalis.

§. IX.

Accedo ad Authoritates, quarum illam tantum attingere libet, quam jam laudatus *Celeberr.* ALBERTI *in Diſſertation de Hæmorrhoidibus ſuppreſſis Theſ. V. pag. 13.* pro corroboranc ſua opinione, fluxum nimirum hæmorrhoidum non eſſe præternaturalem, ex HIPPOCRATE adducit, ſequentem in modum ſcribens: - - - - - - - „Qui hæmorrhoides in prima ſu „eruptione confeſtim expaveſcunt, & illud horridum ve „bum *præternaturale* cum auſteris oculis ebuccinant: qui pc „tius evolvere, & prudenter dijudicare deberent, excretic „nes illas, quas ſecundum naturam contingere ſcribit HI „POCRATES *de Alimento §. 4. text. 9. Excretiones ventris,* dici „*ſecundum naturam, urinarum, ſudoris, ſalivæ, muci, uteri &* „*hæmorrhoides* (ſc. venas) ita ſincerus ſenex hanc hæmorrho „dalem evacuationem illis reliquis accenſet, quas nemo *pr* „*ternaturales* vocabit, aut noxam illis imputabit, ſed de qu „bus conſtans valet judicium atque ſuffragium, quod ſaluta „res & pro vitalitate utiles exiſtant; ex quibus modo ind „camus, quam ſæpe aurea & in experientia medica exqui „tè fundata & probata teſtimonia oblivioni tradantur, m „le dijudicentur, ſiniſtre concilientur & perverſe applicen „tur - - - - - Et eſt ſane egregium quoddam in hanc rem t ſtimonium, cui nihil deficit, quam ut hic verborum alleg torum ſit verus ſenſus. Sed ob eam cauſam totum hunc l cum exſcribere me non piguit, quoniam in ipſa Textus HI POCRATICI evolutione comperii e directo contrariam e hujus ſinceri ſenis ſententiam, ſequentibus verbis expreſſa

loc

loco citato: *(in Edit. Foëſ. vid. Sect. IV. p. 50.)* „Excretiones „ſecundùm naturam, ventris, urinarum, ſudoris, ſputi, mu„ci, uteri. Ad hæmorrhoides, thymum, Lepram, phyma „carcinoma, ex naribus, è pulmonibus, ex ventre, ex ano, „ex cole, ſecundùm naturam, & præter naturam. In græco textu Foëſii, & alia editione græca veteri Baſilienſi poſt vocem *Uteri* ſenſus *puncto* clauditur. Adeoque hæmorrhoides pertinent ad illas ſuſequentes, maxime præternaturales, conſenſu omnium. Id quod magis adhuc illuſtrabitur per infra dicenda de Lib. quem HIPPOCRATES de Hæmorrhoidibus conſcripſit.

§. X.

Secundo loco dicunt, Principium vitale hanc excretionem ſemper ad ſalutarem quendam finem obtinendum inſtituere; Ubi quidem ſtatim definiendum eſt, quidnam per illud Principium intelligant. Si conſuetas eorum loquendi formulas penitius conſideramus, apparet, illud ab ipſa Anima rationali nihil eſſe diſtinctum; Cui notitiam omnium eorum tribuunt, quæ alias ad actiones naturales, imperio voluntatis non ſubjectas, referuntur. Secundùm horum igitur opinionem, ſi ille corporis humani eſt ſtatus, ut major ſanguinis copia, quam ad illius vel nutritionem, vel ſuſtentationem requiritur, elaborata ſuggeratur, tunc illud ſic dictum Principium vitale, conſervationi corporis ſibi concrediti ſolicitè intentum, omnes à Plethora imminentes afflictiones ſapienter prævidet, de prævertendo incommodo deliberat & omnibus in utramque partem probè perpenſis circumſtantiis, tandem ſanguinis excretionem quandam per locum reſpective ſecurum eſſe neceſſariam, concludit. Quo facto, ad hoc perficiendum negotium ſine mora ſe accingit, & ſic ex eminenti quadam cauſa interna aut morali, aut ad vitalem œconomiam ſpectante, mira in ſcœnam producit molimina congeſtoria, tonico ſpaſmodica, intentionaliter & directe eluctatoria, catoterica &c. (ita enim loqui amant) quibus omnibus tandem obtinetur, ut ſanguis per venas ani effluat.

 §. XI.

§. XI.

Ubi quidem ſtatim, ſi quam forte meo conſilio *Principium vitale* adhibiturum ſit fidem, monerem, ut potius in principio tam inutile, imo perniciofum ſanguinis augmentum provide impediat, & ſuperfluas partes chyloſas cum excrementis per proximam & tutiſſimam viam excludat. Si enim verum eſt, de quo illi nõn dubitant, quod jam laudatum principium arbitrarium quoddam in omnes actiones naturales teneat imperium, nec, tanquam ſui conſervandi corporis ſtudioſiſſimum, bona deſtituatur voluntate, nihil poterit efficere ſanæ rationi convenientius, quam eam tempeſtive cohibere maſſæ humorum exſuperantiam, à qua deinde cum tanto rerum diſcrimine corpus liberari debet. Turpius enim ejicitur, quam non admittitur hoſpes.

§. XII.

Sed ſurdo narratur fabula. Licèt enim à tot ſeculis innumeræ fere extent obſervationes eorum, qui ſub medio hæmorrhoidum apparatu interierunt, dum illa moliminum activitas vel repagula iſtarum venarum non valuit perrumpere, vel per earum orificia, non juſto tempore iterum obturata, vita cum ſanguine ſe proripuit, vel tardiori paſſu propter iſtarum partium corruptionem & fiſtuloſas exulcerationes, ſubſequuta ſphacelatio vitæ impoſuit finem; hodie tamen adhuc Anima illa rationalis in illis etiam, qui ancipitis hujus periculi optime ſunt gnari, eâdem viâ procedit, ac ſi nihil eorum, quæ de hac periculoſa & moleſta excretione relata leguntur, & audiuntur quotidie, haberet compertum.

§. XIII.

Unde intelligitur, illud, de quo ſermo eſt, *Principium vitale* aut ſegnius integritati ſui corporis invigilare, aut ea, quæ ſuo obtinendo ſcopo inſervire debent, non ſatis dijudicare poſſe, aut demum nullam omnino tam arbitrariam, ut perhibetur, ejusdem in actiones corporeas eſſe poteſtatem.

§. XIV.

Si hujus Principii rationalis ponimus non modo exiſtentiam, ſed eam quoque, qua cum corpore conjunctum eſt, neceſ-

necessitudinem, condonari vix posset, tanta Ejusdem in administranda sua functione incuria, qua præternaturalem inter solida & fluida irrepere patitur proportionem, non sine maximo discrimine corrigendam.

§. XV.

Quodsi hoc principium ratione est præditum, & omnes dirigit in corpore nostro functiones, necessario sequitur, illud & vim solidorum perfecte habere cognitam, & quid de qualibet fluidi particula aut retinendum aut expellendum sit, distinctè cognoscere; unde ne hæc quidem in illud cadere poterit suspicio.

§. XVI.

Ergo nihil reliquum est, quam in dubium vocare liberam illam ad rationis normam omnes interiorum viscerum actiones dirigendi potestatem: quæ ipsa eo minus merebitur fidem, quo evidentius, omnibus probe collatis circumstantiis, patet, totum hoc negotium secundum leges Hydraulicas & Hydrostaticas institui & procedere.

§. XVII.

Quarum illæ tres maximæ hic sunt considerationis. 1) Fluidum in canalibus ab omni parte clausis circumactum, si quando erupturum est, in eo perrumpet loco, ubi minor respective opponitur resistentia. 2) Si certus quidam horum canalium numerus est obturatus, tunc eo majori proportionatè per reliquos feretur impetu. 3) Si fluidum est hæterogeneum, ita, ut quædam ejusdem particulæ sint magis solidæ, læves & rotundæ, adeoque mobiliores, reliquæ vero porosæ, angulosæ, scabræ, viscidæ, hinc ad motum tardiores (*vid. Celeb.* BOERHAAVII, *Instit. Med. §. 224.*) tunc posteriores inferiorem occupabunt locum.

§. XVIII.

Hinc concluditur, si has leges ad corpus humanum applicamus, conditiones pro hoc fluxu hæmorrhoidali concitando esse debere. 1) Sanguinis præternaturalem abundantiam. 2) Illam venarum circa intestinum rectum dispositionem, qua minori vi, quam omnes aliæ cum illis conspi-

rantes, aperiri queant. 3) Obstructiones venarum superiorum, vel etiam vicinarum, ut in Liene, Hepate, Pancreate, Mesenterio, Utero &c. 4) Humorum dyscrasiam, ab imminutione Secretionum & Excretionum, vel propter eorundem obstructiones, vel ob debilitatem, utpote in Senibus, oriundum. Harum igitur causarum modo quædam solæ, modo plures complicatæ, modo omnes simul dictam evacuationem producere poterunt. Cujus rei optimum testimonium præbet experientia.

§. XIX.

Tempus me jubet properare ad tertium momentum, quo salubritatem & pro conservanda Machina vitali necessitatem huic Fluxui ex ea ratione asserere contendunt, quia, experientia teste, Hæmorrhoides suppressæ sonticos producunt morbos. Ubi dispiciendum est, an omnes illæ excretiones, à quarum legitima successione, ægroti levamen, intempestiva vero & tumultuaria suppressione, exacerbatio symptomatum jam præsentium dependet; pro naturali, in se salubri & nil morbosi habente reputari debeat? Scabies solvit quartanam, retro pulsa verò non tantum eandem producit, sed alios etiam quamplurimos, morbos, Paralyses, Apoplexias, Cœcitates, Tremores, dyspnœas, scirrhos &c. Nec tamen propterea hucusque in numerum excretionum naturalium à quoquam relata est. Prætermitto exanthemata, variolosa, Morbillosa, Scarlatina &c. easdem proprietates habentia. *Dysenteria si intempestivè sistitur, facit abscessus ad viscera, vel articulos, cruenta ad viscera, biliosa ad articulos.* HIPPOCRAT. *Coac. 1.* DURETUS 343. *si habenti ulcus in una ex tibiis sordium serosarum fluxus privatur, ac purum & aridum evadit, deinde lateris & pectoris dolor è directo tibiæ affectæ supervenit, lethale.* HIPPOCR. *de Morb. Popularib. Lib. 4. in princip. Post sanatum ulcus tibiarum & pedum sanguinis sputum supervenit.* RODIUS *Cent. II. obs. 84. Ex ulcere inveterato in crure sinistro ab Empirico sanato, ægrotus post menses aliquot Pleuritide in sinistro latere correptus fuit, atque inde mortuus; morbo durante talia spuebat, qualia ex ulcere ante prodire solebant.* FABR. HIL-

DAN.

DAN. *Cent. III. Obs. 59.* Ergo hæc saniei per ulcera excretio pro naturali & in se salubri habenda erit?

§. XX.

Sed regerunt: omnes illæ excretiones morbosæ convenientibus remediis, justa methodo adhibitis tolli & persanari possunt sine ullo sanitatis subsequentis incommodo; cùm econtra Hæmorrhoides, ubicunque sui indicia semel exhibuerunt, omni studio & opera juvandæ & promovendæ sint, nec sine summo valetudinis periculo prohibeantur. In cujus rei testimonium plerumque provocare solent ad notum illud HIPPOCRATIS suffragium, qui *Lib. VI. aph. 12.* scribit: *Diuturnas curanti hæmorrhoides, nisi una servetur, metus est ne aqua inter cutem & tabes succedat.* Ubi recte annotavit HEVRNIVS in commentario suo, quod recentes quidem hæmorrhoides supprimi possint, quia HIPPOCRATES diuturnas tantum sistere vetat. Diuturnarum enim fluxus omnino permittendus est, præsertim in senibus & Cacochymicis, & quidem ex eadem ratione, qua ulcera antiqua & fluentia consolidari prohibentur. Si enim GALENI Commentario fides habenda, HIPPOCRATES hoc loco de iis tantum hæmorrhoidariis loquitur, qui propter Hepatis obstructiones magnam humorum feculentorum & melancholicorum copiam accumularunt, quos Hepar ad has venas detrudit, & qui, hac via intercepta, necessario versus Hepar & Pulmones regurgitare deberent.

§. XXI.

Si quando HIPPOCRATES mentionem facit morborum à suppressis hæmorrhoidibus productorum, tunc semper loquitur de suppressione intempestiva. Quemadmodum *Epidem. Lib. 6.* de Alcippo animadvertit, qui intempestive curatis hæmorrhoidibus, in Maniam incidit, has enim vocat ἰηγρευθέντας ἀκαίρως, easque manifeste morbis annumerat *Lib. III. aph. 30. His verò, qui hanc ætatem* (Juvenilem) *superarunt, crebri anhelitus morbi laterales, pulmonum inflammationes, lethargi, phrenitides febres ardentes, diuturna alvi profluvia, choleræ, intestinorum difficultates & lævitates, hæmorrhoides.*

§. XXII.

§. XXII.

Deinde ubicunque HIPPOCRATES de cura Hæmorrhoidum loquitur, ſemper intelligit earum ſuppreſſionem procurandam. In toto enim Libro, quem conſcripſit de Hæmorrhoidibus, nihil aliud agit, quam ut doceat, quomodo vel urendo, vel incidendo, vel exterius adſtringentia applicando venæ iſtæ claudendæ ſint, ne una quidem excepta, ut expreſſis verbis ſcribit: - - - - - - *tum candentibus admotis ferramentis, uruntur, quoad exſiccentur, ita, ut ne contingas. Urere vero ita oportet, ut earum venarum, quæ ſanguinem fundunt, NVLLA inuſta relinquatur, ſed OMNES adurantur.* Quam methodum etiam retinuit AETIVS *Cap. 5. ſerm. 2. tetrab.* 4. Quodſi igitur alio loco dicit, unam eſſe ſervandam, illud intelligit, ne intempeſtive, & corpore non præparato, præſertim ubi natura illis jam eſt aſſueta, omnes ſimul claudantur. Intempeſtive autem curati dicuntur GALENO *Com. 3. in lib. 6. Epidem.* qui neque ſanguinis miſſione certis temporibus & periodis, neque medicamentis purgantibus, neque item exercitationibus corporis reduntantiam vacuant, neque etiam unam relinquunt, ſed omnes in univerſum tollunt. Ex quibus ſatis conſtat, eos, qui adeo graviter hæmorrhoides ferunt, ut ſiſtendi conſilium ineatur, longo temporis intervallo per circuitus phlebotomiæ, purgationi & totius corporis exercitationi eſſe obligandos: dein non ſimul atque univerſim tollendas eſſe hæmorrhoides, ſed unam relinquendam, quæ paulatim, jam aſſueta ad vacuationes natura, & optima victus ratione ad naturalem habitum revocata, tandem ita ſupprimi poſſit, ut nulla relinquatur, quod etiam eſt AETII conſilium, & ita loquitur FOESIVS *Com. 2. in Lib. Hippocrat. de Hæmorrhoid.* Qui totum hunc librum conſiderat facile poterit perſpicere, illos hæmorrhoidum Patronos, qui patrocinium apud HIPPOCRATEM quærunt, hæc verba, unam eſſe ſervandam, ſiniſtre admodum interpretari.

§. XXIII.

Jam laudatus *Celeberr.* ALBERTI, *in Diſſertatione de Hæmorrhoidibus Fœminarum Theſ. V.* in ſuas partes trahit ſuffra-

gium

gium GALENI, qui in *Comment. ad aph. 33. Sect. 5.* dicit: *Si quis igitur eam* (hæmorrhagiam) *quæ fit per sedem, dixerit, ita affectis mulieribus utilem esse, non adversatur aphorismo.* Si quis autem veram de hoc negotio GALENI sententiam, & quod pro subsidio tantum corporum morbidorum habeat, scire cupit, adeat *Comment. ad aph. 25. Lib. 4.* ubi mentem suam ita explicat: *Sanguinis excretio per superiora semper mala, per inferiora autem, hæmorrhoides, bona, quando evacuat atram bilem, id est, quando natura hominis copiosum ejusmodi humorem accumulavit. ALIAS VERO NON EXPEDIT ASSVEFIERI HÆMORRHOIDALI HVIC EVACVATIONI, in utramque partem periculose peccanti, aut nimium excernendo, aut subito omnino sub-sistendo.*

§. XXIV.

Has authoritates, licet ad totam dirimendam litem in re, ubi quilibet suo abundat ingenio, non sufficiant, eam tamen ob causam adduxi, quoniam apud hæmorrhoidum laudatores HIPPOCRATEM & GALENVM tam crebro invenio allegatos, &, ut pateat, eam de earum salubritate doctrinam illis infringi potius, quàm ut aliquod exinde aquirat robur.

§. XXV.

Ad quartam tandem, qua hanc hæmorrhagiam ani ornant, me converto laudem, quod scilicet hæmorrhoides fluentes pertinaces non tantum sanent ægritudines, sed ab aliis etiam præservent quam plurimis. Id quod tam experientia, quam veterum Authoritate confirmari potest. Nam sanè, quod ad hoc attinet encomium, eo hæmorrhoides non videntur esse defraudandæ. Illud enim quotidiana comprobavit Experientia, in illis, qui ad hunc fluxum sunt dispositi, spasticas sæpe internarum partium constrictiones, indeque oriundos dolores, suffocatorios, Cardialgicos, Colicos, nephriticos &c. per earum fluxum tempestive proritatum ad miraculum fere esse consopitos. Optimam etiam præbent medelam in sonticis illis affectibus, qui aliàs optimis

mis quibusvis remediis non facile cedunt. Sic enim *hæmorrhoides Podagræ supervenientes, bonum.* FORESTVS *Lib. 23. obs. 4. Ischiadico arthritici dolores, obortis hæmorrhoidibus, aut in tempore adhibitis hirudinibus, certissime cessant: continuante hæmorrhoidum talium per stata tempora fluxu constanter desinunt. Celeb.* STAHL. *Diss. de Nova Podagræ Patholog. p. 27.* qui & ejusdem notæ egregia præbet testimonia. *ib. p. 29. & Diss. de Avtrocrat. Natur.* De qua re evolvi etiam merentur *Miscell. Vratislaviens. 1718. Mens. Novembr. p. 1871.*

§. XXVI.

Præservant Hæmorrhoides tum ab aliis multis, tum ab iis præsertim, qui recensentur ab HIPPOCRATE *Lib. de Humoribus*, quem etiam locum deinde repetit in *Lib. VI. de Morb. Epidemicis Sect. 3.* his verbis: *Qui sanguinem per ora venarum, quæ in ano sunt, profundere solent, neque morbo laterali, neque pulmonis inflammatione, neque ulcere exedente, neque furunculis corripiuntur, neque lepra - - - Intempestive tamen curati multi brevi hujusmodi morbis correpti sunt, eamque ob causam perniciose habuerunt.* Quod igitur Hæmorrhoides justo tempore & ordine fluentes in dispositis magnum præstent emolumentum, de eo nemo dubitat. Sed, an propterea inter excretiones naturales, in se & sua natura salubres referri mereantur? de eo non omnes conveniunt. Putant enim illi, qui hanc laudem illis tribuunt, se nihil præclarius ad eam rem confirmandam allegare posse, quam modo citatum locum ex HIPPOCRATE, quem fere in omnibus, quas de Negotio hæmorrhoidario composuerunt, Dissertationibus exscriptum reperire licet: Cum tamen illis, qui contrariam fovent sententiam, tantum illa addenda sint verba, quæ immediate subsequuntur. Nempe: *quod & in reliquis abscessibus, velut fistulis, contingit, qui aliorum medela sunt.*

§. XXVII.

Hic enim iterum hæmorrhoides ab Hippocrate habentur eodem loco, quo haberi solent abscessus, fistulæ, ulcera antiqua manantia, quibus intempestive consolidatis & exsiccatis,

tis, fieri obſervantur pernicioſæ humorum impurorum
etaſtaſes & decubitus ad loca nobiliora, dum interim Na-
ra, iſtis evacuationibus diu aſſueta, tam prompte per alias
as eosdem non poſſit expellere.

§. XXVIII.

Et hæc quidem ſunt, quæ in mentem mihi veniebant,
m; loco Speciminis Academici, probare in me ſuſcepiſ-
n|: 1) hæmorrhoides falſo haberi in numero excretionum
turalium & per ſe ſalubrium, ſed potius 2) merito referri
morbos, hinc 3) laudes hyperbolicas huic morbo tribu-
s jure eſſe ſuſpectas & denique 4) quod ex iſtis fluit, hanc
cretionem contingere non poſſe in corpore ſano, ſed
tius ſemper ſupponere ſtatum morboſum, & temere quos-
dam ſine diſcrimine eundem moliri & proritare
in omnibus fere ſubjectis &
morbis.

T A N T V M.



QVos tua promeruit Virtus, ego grator honores,
His, ſcio, majores poſt Tibi fata da-bunt.
Faxit Sancta Trias, ut iis, ERNESTE! fruaris
Usque benè, atque aliis commoda multa crees.

ita optat

D. LAVR. THEOPH. Luther,
Chym. Prof. & Facult. Med. Aſſeſſ.
Ord. Conſul Senior, nec non
Phyſic. Civitatis.

DVm tandem meritis gravium DEVILLI laborum
Percipis ex voto præmia digna tuis
Fert animus meliora tuæ primordia ſortis
Verſibus & votis condecorare piis

Omni-

Omnibus in cœptis, ſi quid mea vota valebunt
Summum comperies Numen adeſſe Tibi
arga tuam cumulent fortunæ munera vitam
Auſpicio felix & novus annus eat.

Hæc amicitiæ & memoriæ cauſa plaudens appoſuit

D. JOH. WILH. ALBRECHT, P. P.

OMnia conando docilis ſolertia vincit,
Hoc in TE pariter *fautor*, *amice* valet
ulcia non meruit, qui non guſtavit amara
Hinc novus hic annus, dulce coronat opus,
rita quidem refero, ſed credas congrua vero,
Hinc igitur Lauro tempora ſunt rutila.
i non conando docilis ſolertia vincat,
Dulcibus haud dignus, qui nec amara probat.

Hæc in xenium & ſingularis amicitiæ Teſſeram Doctiſſimo Dno Dno Doctorando de ſpecimine inaugurali apponere voluit, debuit amicus integerrimus & quondam ſodalis fideliſſimus

M. S. J. L.

Dat

NUnc Gerana Tibi DEVILL largitur honores
Quos es promeritus pervigili ſtudio
Mens mea ſuccedant in Praxi cuncta precatur
Fauſte, divitiis aurea vena fluat
Sic honor & Tua laus altiſſima ſidera ſcandunt
Spargitur & magnum nomen in orbe Tuum.

Hiſce Prænobili atque Doctiſſimo Domino Doctorando gratulari voluit opponens

J. D. M.

DAt Galenus opes & dat Galenus honores
At ſummis ſtudiis, illa petenda bona
Jam ſtudioſa manus monſtravit fautor amande
Quale ſit ingenium dexteritasque tua
Hinc etiam ex merito, dignusque capeſſis honores
Qui tibi pro voto commoda multa ferant.

Gratu-

Gratulor atque opto, ſummus bene cœpta ſecundet
Apprecor eveniant omnia fauſta Tibi.

Hiſce Nobiliſſimo & Doctiſſimo Domino Doctorando, amico ſuo honoratiſſimo, honoris & amoris cauſa applaudere volebat

J. M. J. ESCHWEILER,
Med. Cand.

QVem meruit? quem tanta tulit? quem ſorte refulſit
Laureolâ cingi? meruit contingere nunquam
At ſequitur ſolertis onus, dans præmia ſemper.
Hinc à te neque terga ſubit, cùm dicere fas ſit:
Perfida mors moritur, ſalus hìc jam naſcitur ægris.

Ità applaudere voluit Nobili atque Doctiſſimo Domino Defendenti

M. A. E. H.
C. M.

Sic

Sic decet esse virum, sic se monstrare decorum est;
Ut, quantum valeas, urbs, regioque sciat.
Sin fors objiciant aliqui: laus propria sordet;
Concedo immeritam, promeritamque nego
Ast Tu continuo noctuque diuque labore,
Quem studiis dederat, Tun' mereare nihil?
Magna Tua est Virtus, Major doctrina refulge
Præmia queîs tandem, queîs titulosque fere
Ergo salutiferæ faustum tibi comprecor artis
Successum, atque opto prospera cuncta tib
Sic pulchrum est digitis monstrari & dicie
Ille est,
Ille est, quem tempus posteritásque colet.

Hisce paucis devotum semper animum
suum erga prænob. ac experientiss.
D. D. voluit ostendere ejusdem
amicorum & servorum
Infimus

J. M. B. STRECKE
Jur. Stud.

